Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



Non illi obest labor exterior, aut occupacio
ad tempus necessaria, sed sicut res eueniunt sic se
illis accomodat. Qui intus bene dispo-
situs est et ordinatus, non curat mirabiles
et peruersos hominum gestus. Tantum homo
impeditur et distrahitur, quantum sibi res
attrahit. Si recte tibi esset et bene pur-
gatus esses, omnia tibi in bonum cederent
et profectum. Ideo tibi multa displicent et
multa conturbant, quia adhuc non es perfecte
tibi ipsi mortuus et segregatus ab omnibus
terrenis. Nil sic maculat et implicat
cor hominis sicut impurus amor in creaturis.
Si remanis consolari exterius poteris
speculari celestia et frequenter iubilare interius.

De humili submissione

ij. Non magni pendas quis pro te vel
contra te sit, sed hoc age et cura
ut deus tecum sit in omni re quam
facis. Habeas conscienciam bonam et deus
te bene defensabit. Quem enim deus ad-
iuuare voluerit, nullius peruersitas no-
cere poterit. Si tu scis tacere et pati vi-
debis proculdubio auxilium domini. Ipse nouit
modum et tempus liberandi te, et ideo te
illi debes resignare. Dei est adiuuare
et ab omni confusione liberare. Sepe valde